

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 119

Regnante gloriosissimo imperatore Heinrico tempore Friderici Herveldensis abbatis et Gisonis advocati quaedam matrona Mahthilt nomine, relicta vidua Meginfridi comitis de Filisberg, tradidit ad altare sancti Wigberhti in Herveldia hominem Radolfum nomine pro remedio animae viri sui iamdicti Meginfridi comitis ea conditione, ut singulis annis unum siclum infra pascalem ebdomadam persolvat ad ipsum altare. Quo facto sui iuris erit et potestatem habebit commorandi vel commigrandi ubicunque sibi placuerit. Quam rem idcirco litteris mandare curavimus, ne quis eum violenter sibi vindicare vel ad aliud aliquod servitium impellere presumat, propterea quod locum ipsum, in quo idem Radolfus habitat, videlicet Milmilbach cum alio cui nomen est Sahson eadem matrona similiter Herveldensi ecclesiae contulerit, sed alio iure, supradicto homine excepto. Ut ergo in perpetuum omnis lis et controversia inde sopiatur, etiam testes, qui presentes fuerunt, subter annotavimus: Fridericus abbas cum omni simul congregatione; Berhtolt, frater eiusdem matronae, Heinricus subadvocatus, Erwin comes; Hunbraht, Irminolt presbiteri; Hartman, Hildibrat, Folcbraht, Gumbraht, Vinnolt, Irminger, Waltheri, Adalbero, Unan, Rugger, Giso, Adalbraht et alii multi. Facta est autem haec traditio anno ab incarnatione domini MC, indictione VIII.